

## VERSION LATINE

Deux « hommes forts » en Asie : le Macédonien Séleucus et le roi indien Sandracottus

*Après la mort d'Alexandre le Grand, son ancien lieutenant Séleucus se crée son propre royaume, tandis qu'en Inde émerge une nouvelle force.*

Multa in Oriente post diuisionem inter socios regni Macedonici<sup>1</sup> bella gessit<sup>2</sup>. Principio Babyloniam cepit ; inde auctis ex uictoria uiribus Bactrianos expugnauit. Transitum deinde in Indiam fecit, quae post mortem Alexandri, ueluti ceruicibus iugo seruitutis excusso, praefectos eius occiderat. Auctor libertatis Sandrocottus fuerat, sed titulum libertatis post uictoriā in seruitutem uerterat, siquidem occupato regno populum, quem ab externa dominatione vindicauerat, ipse seruitio premebat. Fuit hic humili quidem genere natus, sed ad regni potestatem maiestate numinis impulsus. Quippe cum procacitate sua Nandrum regem offendisset, interfici a rege iussus salutem pedum celeritate quaesierat. Ex qua fatigatione cum somno captus iaceret, leo ingentis formae ad dormientem accessit sudoremque profluentem lingua ei detersit expergefactumque blande reliquit. Hoc prodigio primum ad spem regni impulsus, contractis latronibus Indos ad nouitatem regni sollicitauit. Molienti<sup>3</sup> deinde bellum aduersus praefectos Alexandri elephantus ferus infinitae magnitudinis ultiro se obtulit et, ueluti domita mansuetudine, eum tergo exceptit duxque belli et proeliator insignis fuit. Sic adquisito regno Sandrocottus, ea tempestate qua Seleucus futurae magnitudinis fundamenta iaciebat, Indiam possidebat.

JUSTIN, *Histoires Philippiques*

<sup>1</sup> Il s'agit d'Alexandre le Grand.

<sup>2</sup> Sujet : Seleucus.

<sup>3</sup> Sous entendre *ei* après *molienti* ; *is* désigne toujours le roi Sandracottus.